

*Instrumentum dotale del magister
Crissius de Cilento, di Potenza,
a favore di sua figlia Angeletta*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Instrumentum dotale del magister
Crissius de Cilento, di Potenza,
a favore di sua figlia Angeletta*

1452 gennaio 16

† In nomine domini nostri Iesu Cristi, amen.
Anno a nativitate ipsius millesimo quadrigentesimo
quingagesimo secundo, regnante inclito, serenissimo et
illustrissimo domino nostro domino Alfonso, Dei gratia
Aragonum, Sicilie citra et ultra Farum rege, Valencie,
Ungarie, Ierusalem, Maioricarum, Sardinie et Corsice,
comite Barchinone, duce Athenarum et Neopatrie
ac etiam comite Rossilionis et Ceritanie, regnorum
vero eius anno decimosexto, feliciter, amen, die
decimosexto mensis ianuarii, quintedecime indictionis,
apud civitatem Potencie.

Nos Lancia de Palma civitatis predictae pro dicto
presenti anno dicte quintedecime indictionis annalis
iudex, Rogerius de Lauro de terra Athene, provincie
Principatus, incola seu habitator civitatis nominate,
puplicus ubilibet per totum regnum Sicilie reginali
auctoritate notarius et testes subscripti ad hoc
specialiter vocati et rogati presenti scripto puplico
dotali instrumento fatemur, declaramus, notumfacimus
et testamur, quod in Cristi nomine sine quo nullum
rite fundatur exordium, contracto matrimonio inter
Petrellum, filium Ursii de Abriola civis Potentini, ex
una parte, et Angelectam, filiam legitimam et naturalem
magistri Crissii de Cilento dicte civitatis Potencie
habitatoris, parte ex altera. Dictus quidem magister
Crissius, pater et dotator dicte Angelecte, coram nobis
predictis iudice, notario et testibus infrascriptis dedit,
traddidit et assignavit eidem Petrello, ibidem presenti
et recipienti infrascripta bona dotalia, nomine et pro
parte ipsius Angelecte, sue filie, secundum usum et
consuetudinem ac pacta et condiciones civitatis Potencie,
que inferius describantur, videlicet lucernam unam

magnam de ferro, catenam unam de ferro ad ignem, cardum unum de ferro et gractarolam unam de ferro. Item de here novo laborato libras quadraginta quinque, consistentes in sartaginis duabus unoque caldarone librarum viginti quatuor et caldaria una librarum sexdecim. Item sacconem unum de lino listatum bonbice ad telas tres, mataratia duo de burdis nova plena capiciis cum vitanis rubeis ad telas tres. Item plumacia duo de lino listata bonbice plena pennis. Item paria duo lintheaminum de corenis nova ad telas tres, cultram unam de lino laboratam ad undas, ad rosas, ad uvas et lilia ad tres telas, trappetum unum de lana laboratum ad lilia celestia et zalina cum scampulo nigro. Item thobaleas ad ramum laboratas cannas quinque cum dimidia, mandilia quatuor de lino nova et subtilia. Item zeppam unam albam de serico indiomatam sive laboratam serico et auro nova. Item mandilectum unum de serico listatum serico. Item zeppam unam aliam de serico listatam et indiomatam serico et auro. Item mandilectum unum de serico. Item cammisias quatuor de lino muliebres iutas. Item pellezonem unum de agnis. Item gunnellam unam muliebrem pertatam panni viridis et celestini. Item dublectum unum de lino cum manicis rubeis. Item et in pecunia uncias quatuor carlenorum argenti boni et iusti ponderis regni huius. Que bona superius annotata et dictas uncias quatuor prefatus Petrellus coram nobis confexus fuit et in veritatis testimonio legitime recongnovit se habuisse et manualiter recepisse a dicto magistro Crissio, nomine et pro parte ipsius Angelecte, uxoris sue, integre. Renuncians dictus Petrellus coram nobis voluntarie et expresse ex certa eius sciencia exceptioni doli, mali, vis, metus et in factum, presentis non sic celebrati contractus et rei predicto modo non

geste vel aliter habitea, quam superius continetur et est expressum, exceptioni dicte vero pecunie non habite et non recepte, non numerate ac non electe pecunie ac non boni argenti et dictarum rerum dotalium non habitarum et non receptarum a dicto magistro Crissio, nomine ipsius Angelecte dicti Petrellus uxoris, et generaliter omnibus aliis auxiliis et beneficiis omnium iurium atque legum, privilegiis et licteris quibuscumque et specialiter iuri dicenti generalem renunciationem non valere et iuri per quod cavetur quod dicto iuri renunciari non possit, quibus et propter quod dicta confessio et scripti huius tenor possit in aliquo minui vel infringi. Pacta vero, condiciones et consuetudines civitatis predictae Potencie sunt hec, videlicet quod si contingerit dictam Angelectam premori dicto Petrello, viro suo, liberis comunibus non superstibus, prefatus Petrellus, vir dicte Angelecte, lucrifaciat medietatem omnium bonorum dotium predictarum, reliqua vero medietas ipsarum dotium ad heredes dicte Angelecte debeat pervenire. Et e converso si contingerit dictum Petrellum premori dicte Angelecte, uxori sue, similiter liberis comunibus non superstibus, dicta Angelecta debeat habere omnes predictas dotes integras preter que a comuni usu fuerunt consueta, nichilominus dicta Angelecta lucrifaciat in bonis dicti Petrelli, sui viri, in dodarium et pro dodario, medietatem dictarum unciarum quatuor, videlicet uncias duas carlenorum argenti boni et iusti ponderis ut supra. Quod dictus magister Crissius pro parte dicte Angelecte a dicto Petrello, viro dicte Angelecte, presente et illud constituyente sibi coram nobis fuit sollempniter stipulatus et dictas dotes salvas facere per se et suos heredes ei vel eis aud ipsius alteri heredibus et subcessoribus prout intererit restituere et dictum dodarium assignare, ut

preferitur, in omni casu restitutionis dotium predictarum absque contrarietate quacumque et proinde dictus Petrellus sponsus obligavit se de voluntate dicti Ursii, sui patris, presentis et acceptantis heredes suos et bona sua mobilia et stabilia, habita et habenda, presentia et futura, licita et illicita, cuiuscumque vocabuli et appellatione distincta ad penam dupli dotium predictarum, pro medietate ipsius pene regie curie vel alteri competenti curie ubi exinde facta fuerit reclamatio seu querela et altera medietate dicte pene Angelecte predicte et eius heredibus integre persolvenda totiens quotiens fuerit exinde contraventum, me predicto notario tamquam persona publica pro parte dicte curie et dicto magistro Crissio, nomine quo supra, legitime stipulante penam ipsam, qua pena commissa vel non commissa, exacta vel non exacta seu gratiose remissa, presens nichilominus instrumentum cum contentis in eo plenam obtineat roboris firmitatem, cum refectione omnium dapnorum, interesse et expensarum litis et extra litem que fierent propterea quoquomodo, de quibus stari et credi debeat assertioni cum iuramento tantum dicte Angelecte et dicti magistri Crissii, nomine ipsius Angelecte vel eius heredum, nulla alia probatione quesita, quia sic inter partes ipsas expresse fuit stipulatum, determinatum et promissum. Et proinde dictus Petrellus iuravit ad sancta Dey evangelia et voluerunt dicte partes quod si in presenti instrumento aliqua iuris sollempnitas deficeret tacite et expresse intelligatur in eo et totiens refici et emendari possit quotiens opus fuerit ad consilium sapientis cuiuscumque veritatis substantia non mutata. Unde ad futuram memoriam et tamen dicte Angelecte et heredum suorum cautelam quam predicti Petrelli, factum est exinde hoc presens publicum

instrumentum per manus mei predicti notarii, signo meo solito signatum, signis et subscriptionibus mei cuius supra iudicis et nostrum subscriptorum testium subscriptionibus roboratum.

1

Quod scripsi ego predictus Rogerius de Lauro puplicus ut supra notarius, qui premissis omnibus vocatus et rogatus interfui ipsumque meo solito et consueto signo signavi, superius autem ubi legitur «quinque» et inferius etiam ubi legitur «tam» intervirgulum, actatum et emendatum extitit per me predictum notarium non vicio, set errore, unde pro autentico habeatur, et sic ubi legitur «habite» intervirgulum, actatum et adiunctum extitit per me affatum notarium non vicio, sed errore et sic pro autentico habeatur. † Signum crucis proprie manus Nicolai Palloctini testis ydiote qui interfuit et scribere nescientis. † Signum crucis proprie manus Antonelli de Porta testis ydiote qui interfuit et scribere nescientis. † Signum crucis proprie manus magistri Dominici de Talucio testis ydiote qui interfuit et scribere nescientis. † Signum crucis proprie manus Lionecti Taralli testis ydiote qui interfuit et scribere nescientis. † Signum crucis proprie manus Iohannis de Ursio testis ydiote qui interfuit et scribere nescientis.